



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1670**

Quaestio 1. Quid sit prouidentia diuina.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77011)

QVAESTIO I.

Quid sit prouidentia diuina.

**1** Prouidentia, quod attinet ad nominis etymologiam proculidentiam, aut anteidentiam sonat. Deriuatur enim à verbo prouideo, quod componitur ex verbo *video*, & praepositione *procul*, vel *pro*, prout significat *ante*. Quo fit, vt prouidentia ad ea, quae ex loco distanti videntur, soleat aliquando referri; frequentius tamen refertur ad ea, quae prius tempore, quam existant, noscuntur. Hinc prouidus vocatur, qui in prauidendis, & disponendis euentibus futuris, ordinando media ad suos fines, solertiam, & diligentiam habet. Vnde prouidentia sumpta vniuersè nihil est aliud, quam prouia, & sedula ordinatio rerum in suos fines.

**2** Omisà igitur prouidentia creatà, quae soli creaturae rationali competere potest, utpote cui soli praeter ceteris creaturis competit, agere propter finem, proprie loquendo. Prouidentia diuina secundum S. Tho. 1. par. quaest. 22. artic. 1. in corp. *Est ratio ordinandorum in finem*. Seu, *Ratio ordinis rerum in finem in mente diuina existens*. Cui consonat Boetius lib. 4. de Consolat. prosa 6. dicens. *Prouidentia est illa ipsa diuina ratio in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit*. Aliter definit Damasc. lib. 2. Fidei cap. 29. *Prouidentia, inquit, est voluntas Dei, per quam omnia, quae fiunt, conuenientem gubernationem suscipiunt*. Concernit Nemesius lib. de Facult. animae cap. 43. in tom. 9. Bibliothec. vbi ait. *Prouidentia est rerum procuratio à Deo suscepta*. Et rursus. *Prouidentia est Dei voluntas, per quam omnia, quae sunt, apud gubernantur*. Praeter alias definitiones, quas alij Theologi compingunt. Ex quibus omnibus apparet, prouidentiam tum ad intellectum, tum ad voluntatem Dei pertinere, in ijsque actibus consistere, quibus Deus creaturis prospicit, atque consulit, perducendo eas per media idonea in proprios, & conuenientes fines. Vnde ad obiectum, siue materiam, circa quam diuina prouidentia versatur, duo spectant; creatura, cui prouidetur; & bonum, quod ei prouidetur, seu procuratur; sub quo tum finis creaturae conueniens, tum media, quibus ille obtinetur, comprehenduntur.

**3** De existentia boni prouisi comprehendentis finem, & media certum est, sub prouidentiam diuinam cadere tanquam effectum proprium, seu terminum à tali prouidentia habentem esse. De existentia verò subiecti, cui prouidetur, dubitat aliqui, an sit effectus prouidentiae, vel quid ad illam praesuppositum. P. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 10. num. 2. & lib. 1. de Praedest. cap. 18. num. 1. 2. affirmat, existentiam rei, cui Deus prouidetur, atque adeo etiam eius decretum quid praerogium esse ad prouidentiam: quia ad prouidentiam non spectat dare existentiam rebus, sed eas iam existentes gubernare, & dirigere in suos fines. Consentit Tana. 1. par. disput. 3. de Prouid. & Praedest. in. quaest. 1. dub. 3. num. 1. 3. & quaest. 2. dub. 3. num. 15. & quaest. 3. dub. 2. num. 6. cum Alex. Albert. & Duran. relatis à P. Didaco Ruiz tomo de Prouid. disp. ut. 4. sect. 5. num. 10. Et videtur supponere S. Tho. quaest. 5. de Verit. artic. 1.

ad 9. Tradit hanc sententiam Nemesius supra cap. 42. circa medium. In eademque sunt sine dubio Patres, qui tanquam de aliquo praesupposito ad prouidentiam loquuntur de creatione rerum. Sic Damasc. supra Ambros. lib. 1. Offic. cap. 13. & 1. Corinth. 1. Cyrill. lib. 5. Theol. cap. 2. Eidem sententiae subscribit Herice tract. 3. disput. 22. cap. 7. num. 53. & 55. licet pro opposita sententia citetur à Recentioribus. Qui quidem enixe contendunt, existentiam subiecti, cui prouidetur, sub prouidentiam cadere posse. Quod fiet, inquit, si Deus tale subiectum producat ex ipso eodem fine, ad quem per prouidentiam dirigitur; tunc enim illud aequè, ac cetera media in talem finem ordinata, erit effectus prouidentiae. Sicut subiectum praedestinationis productum ex eodem fine, ex quo producuntur resequi praedestinationis effectus, effectus quoque ipsius praedestinationis est, vt fatetur Soar. supra, assignans quoad hoc discrimen inter praedestinationem, & prouidentiam, quod tamen late impugnant hi Recentiores, quorum sententiae nonnulli etiam Patres fauere videntur apud Ruiz supra, comprehendentes rerum creationem sub prouidentiam Dei.

Verum controuersia haec, vt & alia, quae versantur circa definitiones rerum, in quaestione recidit de nomine. Quam bene componit Ruiz supra distinguens duplicem prouidentiam; aliam late sumptam, quae rerum etiam existentiam comprehendit; aliam strictè, & proprie sumptam, quae tantum comprehendit rerum gubernationem, & praesupponit existentiam, qualem supponit gubernatio ex conceptu suo. Vt enim non dicitur res gubernari per primam productionem sui, ita neque ei per primam productionem dicitur prouideri, loquendo proprie. Ex quo fit, intentionem finis, ex qua prima rei productio procedit, non pertinere ad prouidentiam, qua prouidetur tali rei, sed esse quid praerogium ad illam, vt docent Vazq. 1. par. disput. 87. num. 18. Soar. lib. 1. de Praedest. cap. 5. num. 17. & Tana. quaest. 1. citata dub. 3. num. 15. tamen exequutio ipsius finis per media prouisa effectus sit talis prouidentiae, vt initio statuimus. De praedestinatione alia est ratio propter diuersam nominis acceptionem, vt explicabo quaest. 3. Ad do, licet creatio rei sub prouidentiam non cadat, qua eidem rei prouideri dicitur, cadere tamen posse sub prouidentiam, qua prouidetur alijs rebus, quibus illa est commoda, aut utilis. Quo iure post primam Mundi creationem cetera omnia, quae creantur, effectus vniuersalis prouidentiae, qua Deus huic vniuerso prouidetur, vocari possunt proprie, & strictè: quia omnia, quae creantur ad bonum commune vniuersi conferunt vel tanquam partes ad totum, vel alia ratione.

Aduerto, dispositionem interdum pro prouidentia sumi, saepius tamen, & proprius capitur in sacris Litteris pro exequutione prouidentiae, siue pro externa rerum ordinatione à prouidentia promanante. Fatum autem sumptum catholicè illam concatenationem, & coherentiam, quam res à prouidentia participant, significare potest. De quo plura Ruiz disp. 4. de Prouid. sect. 6. & Tana. disput. 3. quaest. 1. dub. 3. num. 14.